

adeo manifesta, cui non aliqui adversentur. Eorum, quos proposita sententia hostes nacta est, Baylius agmen ducit, qui, ut evidentissimis solet, ita hoc quoque dubiorum exitum non reperit. Ait ille, 1.) Tametsi in volendo a necessitate immunes minime essemus, eundem tamen, quo nunc afficimur, sensum intimum haberemus; ponamus enim nobis volitiones ab ente quodam extraneo imprimi, verum tamen adhuc foret velle nos, idque a nobis sentiri; hoc tamen in casu omnia necessario ageremus: igitur sensus intimus libertatis thesis idoneus non est (*Respons. au provtnc. c. 140. t. 3. p. 761. sub.*).

℞. Minime vero: sensus intimus, quo libertatem probamus, non in eo solum consistit, quod sentiamus nos velle, quodque nullam externam causam, a qua ad volendum determinemur, sentiamus; sed quod sentiamus volitionem a nobis ipsis efficienter procedere, ita, ut eodem tempore etiam omitti potuisset. Inde nempe de libertate nobis constat, quod sentiamus nos velle vi propria, et ex proprio delectu, quodque cuilibet id in controversiam vocanti ipso facto libertatis demonstrationem exhibere possimus. Atque hunc sensum nequaquam haberemus, si ab alio quopiam ente volitiones nostrae nobis imprimerentur, vel nos aliunde ad eas necessitaremur. 2.) Si aevi magneticae, vertummo, aut lapidi decidenti paulo ante motum cum cognitione desiderium aliquod versus determinatam plagam se movendi imprimeretur, viderentur sibi haec corpora a se ipsis ad eum motum determinari, atque adeo libere agere: et ego simile quid in homine quoque stante hoc sensu intimo evenire posset.

℞. Hypotheses hae multis ex capitibus secum pugnant; sed missis his corpora haec tam parum motus suos stricto spontaneos, minus liberos censerent, quam parum homo ex alio praecipitatus, causamque gravitatis ignorans idem de lapsu suo iudicium ferret, requireretur nimirum, ut sentiant posse se pro eo tempore alium quemvis motum eligere, aut saltem hunc impedire, qui sensus longissime abesset. Quodsi absurda fictione ponas aevum magneticam errore, et ignorantia deceptum in hanc sententiam abire, ut putet se in motu suo esse liberam, pete ab ipsa in demonstrationem putativae huius libertatis motum diversum, et illico suum eidem errorem patefacies. Idem responsum valet in Spinozam similiter ineptientem (*Epist. p. 581.*): *Concipe jam, si placet, lapidem, dum moveri pergit, cogitare, et scire, se quantum potest, conari, ut moveri pergat. Hic sane lapis, quandoquidem sui tantum conatus est conscius, et minime indifferens, se liberrimum esse, et nulla alia de causa in motu perseverare credit, quam quia vult. Atque haec humano illa libertas est, quam omnes se habere iactant, et quae in hoc solo consistit, quod homines sui appetitus sint conscii, et causarum, a quibus determinantur, ignari. Nihil turpius philosopho, quam confidenter effutire, quibus nec veritatis colorem tribuere possis. Nos et antecedenter ad*

motiva, appetitionem, ac volitionem nostram, et consequenter, quin et eo ipso momento, quo volumus, sentimus, nos posse hoc, vel illud velle, aut non velle, et quidem ex determinatione propria; habet enim haec facultas prae aliis hoc sibi proprium, quod illam nos habere sciamus etiam ante omne experimentum; inde ejus nobis consilii praedicimus, quid facturum simus non solum momento proximo, verum die quoque, vel anno sequente, ac saepe causas occasionales prorsus arbitrarias nostrarum actionum constituimus. Hi sensus, haec praevision, haec arbitraria adjunctorum determinatio optime congruit cum libertate, cum necessitate nullo modo; atque hoc sensu acus illa magnetica, aut lapis decedens omnino destitueretur, et nos quoque destitueremur, si ab externo principio ad volendum determinaremur. Denique generatim adverte: cum omnis substantia vi agenda polleat, omni quoque substantiae spontaneitas late sumta tribuenda est; jam vero vel substantia vi percipiendi, ac conscientia simul pollet, vel non; si istud; non utique sciet se sua vi agere; si illud: tum vel tantum habet spontaneitatem late sumtam, vel etiam strictam, vel libertatem quoque; in primo casu sciet se sua vi agere, at non sciet se sua vi posse vel aliud, vel alio modo agere: in altero sciet per suam vim alias quoque actiones, sed mutatis solum adjunctis, possibile esse; in ultimo vero sciet ipsa et se sua vi agere et agentibus iisdem adjunctis, ac incitantibus quoque posse non agere: vel aliud, aut alio modo agere.

3.) Etsi nobis sensu intimo constat nos existere, non tamen eadem via nobis constat nos existere ab alio, id enim per ratiociniam investigandum; igitur etiam, etsi nobis constat sensu intimo nos velle, non tamen simul constat nos non ab alio ad volendum determinari.

℞. Illationis vim non perspicio: illud non constat sensu intimo: ergo neque hoc; quasi diceret: non constat certo in luna esse incolae: ergo nec certe constat illos esse in tellure. Quodsi rationes aequales pugnant pro utraque parte, consecuto robore non caret; at vero id nequaquam est: nam sensu intimo inde proba libertatem, quia sentio me mea vi velle, dumque hoc volo, eadem vi aliud velle posse: similis ratio pro alia parte non stat saltem manifeste; implicite namque etiam sensus intimus docet nos esse ab alio, quatenus nempe nos mutationi, ac defectioni subiectos esse experimur. Accedit, quod existentia ab alio defectus sit, et negatio perfectionis, quae non per se, sed tantum in alio sub experientiam cadere potest; ubi contra libertas facultas est vere positiva, ac realis.

4.) Addunt denique alii ex praedictio quodam solum videri nos hunc sensum intimum habere, reapse ita minime esse; quemadmodum multi putant sentire se realem animae in corpus indimae, per corporis membra diffusionem, atque omnes horum motus a vi animae efficienter provenire, quae tamen omnia sensus intimi testimonio constare sanior philosophorum pars negat.

℞. Multos hoc praedictio abripi a vero abhorret; tametsi enim



philosophorum plurimi realem animae in corpus actionem adstruunt, pauciores tamen sunt, qui ad id comprobandum sensu intimo utantur; et fere id solum in hunc errorem inciderunt, qui in usu vocabulorum minus accurati sensum communem cum sensu intimo incaute confuderunt. Contra non philosophi modo quam plurimi, sed quisvis etiam sana ratione utens, immo totum genus humanum paucissimis contradicentibus, ut statim videbimus, se libertatem suam sensu intimo experiri clamitant; quis autem asseret praedictum quoddam hujus praesertim generis in toto humano genere diffundi, ac tempore ipso corroborari posse? Unde deinde Praejudicium istuc ortum fuisse, si omnes causae nobis notae necessariae forent? Admitto igitur lubens, eos qui actionem animae in corpus se experiri asseverantur, in vitium subreptionis prolapsos fuisse; quod enim ratione commercii animam inter ac corpus experimur, id unum est, quod cum determinata in mente voluntione determinatus in corpore motus existat, et vicissim cum determinato in corpore motu determinata in mente perceptio excitetur; quis vero inter voluntionem, et motum, ac inter motum et perceptionem nexus sit, id non experientiae, sed legitimae ratiocinationis objectum est. Aliter se res habet in negotio libertatis; dum volo objectum *a*, sentio me vi propria ita velle, ut possim etiam non velle, vel velle objectum *b*, eademque via scio me ex determinatione propria velle, quia via me cogitare, vivere, existere cognosco; ut igitur, qui istud in dubium vocaret, ipsa veritatis fundamenta evelleret, ita qui de illo dubitavit, humanitatem exiisse censendus est. Denique fuerunt aliqui qui falso putarunt se actionem animae in corpus vere efficientem experiri, anne continuo colligi poterit neque de libertate sensum intimum exstare? Profecto non ideo sibi physici experimenta rejiciunt, quod saepe errores, aut fraudes etiam subreptant; sed solum majorem propterea attentionem adhibent, atque accuratius examen instituunt: ita acute antea intima animi sensa exploranda sunt, quam inde veritatis testimonium petatur.

ITEM EX UNIVERSALI HOMINUM CONSENSIONE, -- CUM OMNINO EXSTAT.

CCXXV. *Animae humanae verum a necessitate libertatem competere ex universali omnium hominum consensione certissime colligitur.* Haec certe universalis totius generis humani consensio aliunde oriri nequit, nisi vel ex sensu intimo, vel ex naturali animi propensione ad istud iudicium ferendum (§. 169. log.); neque enim aliud principium universale, ac toti hominum generi commune existat; sed utrum horum sit, tam generalis, tamque constans hominum consensio ab errore omnino immunis est (§§. 163. 171. log.); igitur et illa certissime colligitur in mente nostra veram a necessitate libertatem inesse.

*Schol.* Expensis illis, quae in logica de efficacia intimi, ac communis naturae sensus dicta sunt, praesens argumentatio vim demonstrat

tionis omnibus numeris absolutae obtinet: si modo haec generalis consensio efficaciter demonstretur, id quod nullo negotio praestari potest. *Etiamine libri obscuri mihi scrutandi erunt, verba sunt S. Augustini, unde discerem, neminem vituperatione, supertitioque dignum, qui aut id velit, quod iustitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest. Nonne ista dicantur, et in montibus pastores, et in theatris poetae, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et in orbe terrarum genus humanum. (Unde duab. anim. n. 15. alias c. 11.)* Et quidem quod ad philosophos attinet, omni certo aetate et plures, et doctiores et probiores id asserunt, suosque docuerunt. Alia Dei providentia; alia consilio nostro, et libertate, alia fato fieri opinio erat Pythagorae (*Stanl. hist. ph. t. 2. doct. Pyth.*), Plato fatum quidem in hominum vitas et actiones introducit, sed et voluntatis libertatem cum eo conjungit, scribit Plutarchus (*De plac. ph. c. 17.*); clarissime ipse passim libertatem professus est (*Gorg. et l. ult. de rep.*). Aristotelis (*L. 11. moral. c. 9. Item met. l. 9. c. 1. Eth. l. 2. c. 5.*) verba sunt in nostro arbitrio esse bona, malaque facere, Quid multa? Veterum philosophorum hac in re consensio adeo manifesta est, ut ne Calvinus ipse (*Inst. l. 2. c. 2. §. 2.*), quamquam vel maxime optaret, eam negare ausu fuerit. Mihi omnium loco Tullius (*LL. de fat. de div. de vat. D.*) est, qui tam acriter pro libertate depugnavit, ut, cum praevisione Deorum cum nostra libertate conciliandi modum non inveniret, maluerit eam tollere, ut hanc defenderet, sicque ut *homines faceret liberos, fecit sacrilegos*, quemadmodum S. Augustinus (*De Civ. Dei l. 5. c. 9.*) de illo scripsit. At vero dubitabunt fortasse aliqui, utrum Tullius eam, quam statimimus a necessitate libertatem defendit, quid igitur? Eam defendit, quam cum praevisione conciliatur: alia ergo fuerit, necesse est, pro qua ipse pugnavit; quae illa? Libertas a necessitate; alterius enim praeter has duas ideam non habemus. Libertatem itaque a necessitate propugnavit Cicero, ac pro ea velut firmissimum argumentum generalem hominum consensionem attulit: quae res palam facit eandem libertatis notionem in aliorum quoque, ac praesertim antecedentium philosophorum animis insitam fuisse. Alii putant universalem adeo de libertate consensum nunquam extitisse propterea quod plurimi veterum fatum adstruxerunt; verum multos ex iis libertatem humanam cum fato conjunxisse; plures doctrinae suae consecutiones non perspexisse in cosmologia (§. 28. seqq.) dixi, ubi objectio haec magna ex parte enervata est. Celeberrimum fuit Stoicorum fatum, ipsi tamen, paucis solum, qui Clearchem secuti sunt, demtis, libertatem minime negarunt; testatur enim Plutarchus (*De plac. phil. l. 1.*), Stoicos maximam partem quod libertatem cum Platonis consensisse, et generatim de illis S. Augusti-



nas (*De civ. Dei* l. 3. c. 10.) scribit: *Nec illa necessitas formidanda est, quam formidando Stoici laboraverunt causas rerum ita distinguere, ut quasdam subtraherent necessitati, quasdam subderent; atque in his, quas esse sub necessitate noverunt, posuerunt etiam nostras voluntates, ne videlicet non essent liberae, si subderentur necessitati.* Chrysippus praesens disciplinae Stoicae lumen testibus Cicerone (*De fat. c. 17.*) et Aulo Gellio (*Noct. att. l. 6. c. 2.*) voluntates humanas ex fato exclusit, easque et liberae esse, et propterea poenam, vel praemium promereri posse docuit. Vid. Baylius (*Dict. crit. l. 2. art. Chrysip.*). Qui deinde fatum astrologicum statuerunt, nullam sane auctoritatem hoc loco habere possunt; opinionem enim aperte absurdam, at nullo non tempore a sapientioribus explosam tenuerunt. Epicurus denique, qui Democriti paucissimos sectatores numerantis systema excoluit, ut hominum libertatem defenderet, motum illum tertium atomorum (cosm. §. 20. sch.) seu ut Lucretius ait, *clinamen principiorum* confinxit; fusc de hoc Gudworthus agit (*Syst. intell. c. 5. s. 2. 14.*); Stanlejus ex Laertio (*Hist. phil. t. 3. de phil. Ep. p. 3. s. 6. pag. 1067.*) Epicurum sic rationantem inducit: *Verum est quidem in rebus ratione carentibus fieri aliquam necessarium —; at in homine ratione utente, et quatenus quidem illa utitur, necessitas prorsus est nulla, ac non ideo conati sumus declinationem motuum asserere atomis, ut deduceremus, qui posset fortuna humanis rebus intervenire, ac illud, quod in nobis est liberum arbitrium minime periret.* Miserum quidem ac ridiculum effugium, aptum tamen, ut inde nobis Epicureorum de nostra libertate sensus patefiat. Quod si jam his posteriorum temporum philosophos addamus, juniores nimirum Platonicos, Peripateticos recentiores, Gassendias, Cartesianos, facile patebit, tanti numeri comparatione nullam eorum rationem habendam esse, qui in oppositam sententiam recesserunt. Verum et aliorum, quos philosophis non accensemus, haec constans est sententia; quique ab ea recesserunt, oppido pauci sunt, ac fere vitae minus probae; unde satis patet, quo fine, ac mente a communi totius humani generis iudicio discrepent. Universim deinde in omnibus humanae libertatis hostibus nullo tempore observatum est, ipsos ad eam sententiam, quam ore negant, vitae suae rationes accommodare, quod naturalia propensionis, quam inviti sentiant, neque ullo conatu prorsus delere possunt, clarissimum signum est (§. 171, sch. n. 4. log.). Certe hortantur et ipsi suos, uxorem, prolem, domesticos, ut honestatem colant, puniunt, si quid deliquerint, cavent solliciti, ne quid vel a se, vel a suis admittatur, quo ipsi vel ignominia, vel damnum quoddam accersatur. At quorsum haec cura, haec sollicitudo, si necessario fiant, quaecumque fiunt? Deinde cur aegre adeo ferunt injurias sibi illatas? Unde tantum vindictae studium? An non vel eo vindicandi conatu ipsas libere sibi illatas profitentur? Nisi enim in aliorum potestate si-

tum fuisset talia nocumenta non inferre, nulla foret ratio injuria, nulla irae justae, aut vindictae; vide Eusebium (*De praep. evangel. 6. c. 7.*). Nemo umquam ab homine amente, aut a furioso bellum injuriam sibi illatam fuisse conquestus est. Cum igitur illi ipsi, qui verbis libertatem tollunt, in periculis adeo modum solliciti, in rebus dubiis apprime cauti, in inculiscentis injuriis valde feroces sint, neque aequaliter perfidiam, ac fidei tantem; patricidium, ac parentum observantiam aestimare queant, nonne haec agendi ratione manifeste sibi contradicunt, occultaque animi sensu, quod ore nolunt, operibus produunt? Profecto si omnia necessario agentur, possemus quidem amare virtutem, et probitatem tamquam rem nobis commodam; aestimatione, ac praemio dignam censere non possemus: quemadmodum horologium commodi causa amamus, non tamen serie mente aestimatione, aut compensatione dignum judicamus.

## DENIQUE EX LEGIBUS, PRAEMIIS, AC POENIS.

CXXXVI. *Si in homine non datur vera a necessitate libertas, leges, praemia, ac poenae, quibus Soleno teste, ut habet Cicero, omnis humana respublica continetur, fidem adaequatum, quem legislatores intendunt, ac unanims subditorum consensio approbat, non consequuntur* (*Ep. 15. ad Brut.*). Finis enim adaequatus, quem legislatores in constituendis legibus, distribuendis praemiis, ac poenis sibi praefigunt, non in eo solum consistit, ut homines ad actus bonos impellantur, aut a malis efficiatis arceantur; sed etiam ut illi ob actiones praeteritas condigno praemio, vel poena afficiantur; at qui finis hic sine libertate a necessitate obtineri nequit: ut enim quis ob actum praeteritum praemium, vel poenam mereatur, ex communi naturae sensu necesse est, ut actus ille in genere morum imputari possit, quod fieri nequit, nisi actum illum ita in sua haberet potestate, ut eundem pro arbitrato suo ponere, vel non ponere possit, quemadmodum illi patet ex actione hominis amentis, aut bestiae nobis ambrosa, quae in poenam non imputatur; igitur sine libertate a necessitate adaequatus legum, praemiorum, ac poenarum finis non obtinetur.

Schol. 1. Profecto sensus ille, quem quisque in se ipso experitur, cum animum ad recte, aut perperam a se facta advertit, luculenter evincit, nullum homini actum ad laudem, vel vituperationem, ad praemium, vel poenam imputari posse, nisi, qui cum perfecta libertate ponitur; unde enim fit, ut in aliis, quae quis cum plena rationis advertentia, ac libere egerit, sibi complaceat, laudeque, ac praemio dignum se tacite pronunciet: in aliis contra se ipsum damnet, ac poenitentia ducatur? Eodem vero sensu nequaquam afficiatur, cum easdem actiones ex ignorantia quadam antecedentes; vehementi animi perturbatione, amentia, aut ex quacumque alia necessitate, licet quam maxime spontanea, ac voluntarie efficit (*Discours sur la vie heureuse p. 72.*)? Nobis ab hoc sensu perpetuo illud



fatuum est cogitare, ut nos dicam impium, quod anonymi auctoris sententia est; dolet ille caecorum mortalium vires, qui sibi adeo imponi permittant, ut putent se libere agere, cum vel maxime fatali necessitate abripiuntur, sibi quoque molesta conscientiae voce ea facta exprobrant, quorum ommissio in ipsorum potestate sita minime fuerit. Rectius Aulus Gellius pronuntiavit: *sine libertate poenae forent injustae*; quae ipsa quoque Magni Augusti mens est: *sublata libertate omnis humana vita subvertitur, frustra laeges dantur, frustra oburgationes, laedae, vituperationes, exhortationes adhibentur, neque ulla iustitia bonis praemia, et malis supplicia constituta sunt* (Noct. att. l. 6. c. 2.). Et sane quis militem ex vulnere prostratum laudaverit, quod hostem non fugiat, aut contra reprehenderit, quod hostem non insequatur? Ita vero res se haberet, si nulla in nobis esset libertas a necessitate. Ut horologium ob bonam, vel malam horarum designationem nec praemiam, nec punimus, quod omnia in eo necessario; tamen si cum spontaneitate late sumpta perficiuntur, ut amentem, aut furiosum nullo praemio, aut poena dignum censemus, quidquid agat, quod rationi ac libertatis usu caret, licet cum spontaneitate stricte sumpta operetur, ita neminem prudenter, ac sine risu laudare, aut vituperare, praemiare, aut punire possemus, si ad omnes nostras actiones, aut earum omissiones ineluctabili quadam necessitate, seu physica seu moralem eam voces, adigere mur.

Quod jam vero ad majorem propositionem superioris rationi attingit, ea quoque jure in dubium vocari nequit, ex natura enim tam divinarum, quam humanarum legum: ex communi rerum publicorum constitutione, quarum nulla est, quae magistratus publicos, certasque leges non habeat, quae, ut ait Tullius (*De leg. l. 2. c. 5.*), *supplicio improbos afficiunt, defendunt, ac tuentur probos*; ex ipso denique sensu communi certum extare inter homines justitiam non solum *correctivam*, quae videlicet in futurum prospicit, curatque, ne malae actiones committantur, sed etiam *vindictivam*, quae ob actus duntaxat praeteritos, iis praemia, vel poenas decrenendo, aequissime exerceatur. Hobbesius (*Hobbes de libertate with, Epist. Bram. hall.*) quidem Socinianorum causam agens hanc justitiam vindictivam in sui cum Bramhallo Anglicano Episcopo concertationibus acerbè insectatus est: apud viros tam cordatos, et ab anticipatis opinionibus remotos nihil promovit; permansit hic constans inter homines sanioris concilii sensus, Ipse Leibnizius, quavis id principiis ab eo stabilitis consentaneum minime videatur, ab illo non recessit (*Remarg. sur Lettr. de l'origine mal. §. 17. Essai de Theod. p. 1. §. 73.*): docet enim justitiam hanc vindictivam fundari in aequitate quadam naturali, quae postulat, ut et offenso, et iis, qui praevaricationis legis conscii sunt, aliqua ratione satisfiat; putat nempe ad constantiam sapientis legislatoris pertinere, ut ne legis suae transgressionem impunitam admittat, etsi poenae ejus occasio, nemo alius corrigat, et e-

commendaretur, id quod reapse saepius factum fuisse historiarum monumenta nos docent, cum referat nonnullos ob admissum gravius delictum jussu Principis nocte, et clam omnibus morte multatos fuisse. Et certe cum communi hominum opinione id apprimè congegit; omnes enim ita sentiunt, ad stabilendam rei publicae salutem non satis esse, ut per poenas futura solum scelus admisso impediatur, sed jure praeterea exigi satisfactionem quampiam pro delicto jam patrato, licet ea nec in exemplum, nec in aliorum emendationem serviret; quemadmodum nempe vera animi grati significatio ea non est, quae ad novum duntaxat beneficium impetrandum tendit, sed quae ex memori beneficii accepti animo percipitur. Ita verae poenae rationem non habet, quod ad impedienda solum flagitia, minime vero ad commissorum vindictam infligitur. Verum haec quantumvis verissime dicta, non tamen omnibus probantur; contra enim

## RESPONDETUR OBJECTIS.

Schol. 2. Ponunt r.) Tamei omnia necessario a nobis agerentur, iusta tamen foret, nec inutilis legum constitutio, praemiorumque, ac poenarum representatio; fingamus enim primo extare fatalem quampiam causarum connexionem, poterunt utique praemia, et poenae in ea serie ita connecti; ut tam necessariae causarum, quam effectuum vires obeant; fingamus deinde hominem, quod Leibniziani docent a representatione boni, vel mali ad volitionem, vel nolitionem moraliter necessariam, conducerent rursus praemia, et poenae ad id, ut objectum magis bonum, vel magis malum representetur.

R. Ad primum. Posita tali necessitate fatali locus non foret justitiae correctivae, minime autem vindictivae; vindicare enim factum cum absoluta necessitate perpetratum injustissimum est: finis igitur adequatus, ad quem praemia, et poenae nunc saltem omnium hominum consensione dirigitur, nequaquam obtinetur. Quid quod correctio abstracte et separatim a vindicta considerata nec vero, et proprio sensu actus justitiae dici potest; nemo profecto iudicat actum justitiae esse occasionem belluae furiosae, aut hominis amentis in me violente irruentis et verberationem canis ob carnes furto ablatas, sed de his postea.

Ad alterum plura sunt, quae reponi possunt. 1.) Quaevis bonitas in objecto representata jam est ratio sufficientis volitionis, cur igitur ea per appositionem praemiorum augeatur. 2.) In compluribus actibus honestas, vel inhonestas ipso rationis lumine tam clarè homini tantillam attentionem adhibenti proponitur, ut ea claritas nulla praemii, vel poenae adjectione augeri posse videatur; cur igitur legislatores; etiam hos actus maximis praemiis, vel gravissimis poenis adjectis praecipiant, aut vetant? 3.) In hac rursus opinione excluditur omnis justitia vindictivae, quam tamen Leibniziani ducis sui exemplo triplo omnino debent. 4.) Hinc unum



finem per praemia, et poenas nec legislatoribus, nec a subditis intendi ex eo clarissime patet, quod quisque in se experiatur, posse se etiam stante cognitione praemii et poenae objectum perceptum velle, vel non velle, hocque, vel illud velle.

2.) Bruta, etsi libertate a necessitate destituantur, puniri tamen, et praemiari solent: licet item occidere bestias noxias et hominem furiosum in nos irruentem cum aliud medium non superet; igitur ex praemiis, ac poenis homines libere agere nequaquam colligitur.

R. Quae admodum damnum a belluis nobis forte illatum in loco injuria non habemus, ita neque vero ac proprio sensu ipsae puniri, aut praemiari dici possunt; cum brutis fere, sicut cum amentibus quibuscum optime comparari possunt, agimus. Occidimus deinde iuste hominem amentem, aut bestiam noxiam; sed caedes ea non habet rationem poenae, verum medium solum est nosmetipsos defendendi, et gravius damnum nobis inferendum impediendi. Poena proprio, et vero sensu talis ex ipsa sui notione, et universali hominum opinione solum infligitur propter actionem, quae in genere morum agenti imputari queat, quod non fit, nisi et illa, et ejus omisio ex aequo in potestate operantis constituatur. Profecto nemo sanus bruto mortem infert in poenam, et vindictam; nemo illud ob delictum admissum clam occidit, quemadmodum inter homines nonnumquam eveniat; sed omnes quae belluis infligi videntur, poenae in futurum duntaxat tendunt, ut deinceps vel ipsae, vel aliae eam poenam intuentes phantasiae ope ab ejusmodi actionibus absterreantur; eum in finem quoque fit, si verum est, quod Rotarius refert, ut in quibusdam Africæ provinciis leones cruce affigantur (*L. 2. p. 109. quod brut. mel. utunt. rat. quam hom.*). Universum igitur, comparate ad bruta nihil veram rationem praemis, aut poenae, laudis, aut vituperationis obliet, sed horum ope in ipsorum cerebro motiones certas, ac respondententes deinde in anima ideas excitamus, a quibus ea ad omnes suas actiones, aut omissiones determinantur. Aliter se res habet in nobis hominibus, non ab ideis praesentibus minime ad actiones determinatur; utpote quas ponere, vel non ponere etiam praesentibus hisce ideis, et oriundis inde appetitionibus in nostra situm est potestate. Ceterum qui argumento amplius insistit, videat, ne hominem, quem cum brutis comparat, ipsa ratione expoliet: quare nec plus efficiat, qui a brutis quandoque aliqueum amorem benevolentiae, aut concupiscentiae a nobis exhiberi; bruta enim solum laudamus, aut amamus ob aliquas perfectiones physicas non vero ob morales; ejusque generis amor, qui in aestimatione utilitatis ex rei usu consequendae consistit, saepe rebus quoque inanimatis impenditur, ut cum horologium proprii commodi causa amamus. At vero homini leges, praemia, poenas proponuntur, ut his incitamentis allectus ipse sese libere ad actionem ponendam, vel omitendam determinet; homini praemia conferuntur in compensationem actionum praeteritarum, non autem

eo solum sine, ut motiones in cerebro, ac ideae in animo excitentur, quae, quoties per phantasiam reproductae fuerint, ipsum ad agendum determinent.

3.) Amor beatarum mentium in coelo bonum infinitum intuitive cognoscentium, etsi actus sit necessarius, est tamen laude dignus, ac moraliter honestus; igitur sine libertate a necessitate actus moraliter honesti, et laude, vel vituperatione digni esse possunt.

R. Amor beatarum mentium dici quidem potest honestus, laudeque dignus habita ratione objecti quod honestissimum, et creaturae rationali veram felicitatem naturaliter appetenti maxime congruum est; est item perfectior amore Dei in hac vita, quia longo perfectiori modo in Deum tendit, eumque per visionem intuitivam propositum perfectius possidet: non tamen est formaliter honestus ratione meriti; cum enim liber non sit, etsi quam maxime voluntarius; nequit is ad laudem velut ad praemium imputari, neque sancti per illam quidquam mereri possunt. Generatim probe hic notandum: operari libere non esse semper, et in omnibus melius ac perfectius, quam operari voluntarie, ac necessario; regula enim perfectionis postulat, ut objectum pro dignitate sua ametur: quare si objectum sit bonum summum, purissimum, et summe necessarium, summa etiam necessitate amari debet; si contra sit minus bonum, non purum, neque necessarium, illius amor in domino diligentis est, ac proinde etiam omitti potest. Ita Deus se ipsum necessario, alia extra se libere amat, et tamen actus illius est semper in se, ac sub omni ratione perfectissimus: idem igitur cum proportionem ad voluntatem creatam applicandum.

Sunt et alia nonnulla, quae verae libertatis hostes obiectare solent. His antequam respondeam, necesse est, ut demonstrum veram a necessitate libertatem cum principio rationis sufficientis alias stabililo minime pugnare.

CXXVII. *Cum anima nostra ponitur volens, vel nolens absque ratione sufficiente, quae se teneat vel ex parte objecti repraesentati, seu motivi, vel ex parte iudicii intellectus practici, vel ex parte determinationis naturalis ad unum, adest id, quod efficit ut, praedicatum volens, vel nolens animae velut subjecto praeter essentiam cum veritate tribuatur.* Cum anima dictis sub determinationibus ponitur volens, vel nolens, adest actuale exercitium spontaneitatis animae competentis (§. 106.); sed ipsum actuale exercitium spontaneitatis efficit, ut praedicatum volens, vel nolens animae velut subjecto praeter essentiam cum veritate tribuatur: ergo cum anima humana dictis sub determinationibus ponitur volens vel nolens, adest id, quod efficit, ut praedicatum volens, vel nolens animae velut subjecto praeter essentiam cum veritate tribuatur.

CXXVIII. *Cum anima nostra dictis sub determinationibus ponitur volens, vel nolens, nihil ponitur, quod pugnet cum principio rationis sufficientis.* Ubi adest id, quod efficit, ut praedicatum, quod subjecto praeter essentiam tribuatur, cum veritate tribuatur,



ibi nihil pugnat cum principio rationis sufficientis (ont. §. 20. 21.); sed cum anima dictis sub determinationibus ponitur, volens, vel nolens, adest id, quod efficit, ut praedicatum volens, vel nolens, quod animas velut subiecto praeter essentiam tribuitur, eidem cum veritate tribuitur (§. praec.): ergo cum anima nostra dictis sub determinatione ponitur volens, vel nolens, nihil pugnat cum principio rationis sufficientis.

LIBERTAS A NECESSITATE NON REPUGNAT PRINC. RAT. SEFF. — RATIONES ADVERSARIORUM RESPICIUNTUR.

CXXIX. Cum anima nostra ponitur gaudere vera libertate a necessitate, nihil ponitur, quod pugnet cum principio rationis sufficientis. Dum anima nostra ponitur gaudere libertate a necessitate, ponitur ea volens, vel nolens, sine ratione sufficiente, quae se teneat, vel ex parte objecti repraesentati, seu motivi (§. 118. cor. 3.), vel ex parte iudicii intellectus practici (§. 221.), vel ex parte determinationis naturalis ad unum (§. 116.); sed cum anima dictis sub determinationibus ponitur volens, vel nolens, nihil ponitur, quod pugnet cum principio rationis sufficientis (§. praec.), ergo cum anima nostra ponitur gaudere libertate a necessitate, nihil ponitur quod pugnet cum principio rationis sufficientis.

Schol. Examinemus jam momenta rationum, quibus adversarii libertatem a necessitate impetunt; quas ab aeterna Dei praevisione sumunt, dissolutae sunt (cosm. §. 37. sch.); reliquae huc fere deducuntur.

Ajunt 1.) Voluntas a necessitate libera esse nequit, si ea a principio efficiente externo ad suas actiones determinari debeat; istud autem ita esse inde patere putant, quod volentis ad volendum, vel non volendum indifferens sit.

¶ Voluntas quidem indifferens est indifferentia activa seu formalis, non autem passiva, seu objectiva; illud vero solum a principio efficiente externo determinari debet, quod passivo, seu objectiva indifferens est. Nimirum, ut Dariesio ait (*Psych. emp.* §. 112. schol.); *indifferens dicitur quod a se sic, ac aliter se habere potest, atque ideo subiectum aliquod ad id indifferens dicitur, quod illi inesse nequit, nisi contingenter. Jam vero ens illud vel vi sua sine principio efficiente externo ad oppositum se determinare potest, vel non. Si prius, ad id formaliter, seu ut Bernardus Lamy (*Dem. verit. et sancti. eth. chr. c. 11.*), active; si alterum passivo, seu objectivo indifferens esse dicitur. Ens igitur ad aliquid passive indifferens est, quod ad illud obtinendum nihil conferre potest, quam potentiam passivam, ut verb. gr. marmor ad recipiendam statuae formam; haecque indifferentia a principio efficiente externo tolli debet; contra indifferentia activa, seu formalis est in ente, quod vi agendi pollet, quandoque per ipsam hanc vim suam indifferentiam sine principio efficiente externo tollere potest. Tale ens est voluntas, sive potius anima nostra, quae cum*

ex essentia sua ad nullam volitionem determinata sit; ac semper contingenter velit, vel nolit, indifferens est ad volendum, vel nolendum, vel non nolendum; cum vera praeterea vi agendi, sive spontaneitate polleat, ipsa sibi habitis omnibus ad agendum requisitis suam indifferentiam vi propria tollit, neque ad id ullo principio efficiente externo eget. Atque inde, observante laudato Dariesio, philosophi ad indifferentiam formalem, quae libertatem a necessitate constituit, requirunt (*Loc. cit.*), *potentiam agendi utrumlibet oppositorum, et aptitudinem sese determinandi ad alterutrum oppositorum pro lubito.*

2.) Etsi voluntas ob indifferentiam activam non egeat externo principio efficiente, eget illa tamen determinante, quoposito rursus ab omni necessitate immunis non erit. Confirmant deinde assertum paritate ab intellectu petita, qui licet active indifferens hoc ipso, quod ad nullam perceptionem ex essentia sua determinatus sit, ab externo principio determinari debet.

¶ Intellectus est potentia necessaria, id est, talis, quae habitis omnibus requisitis actionem omittere nequit; est enim imprimis ex natura sua determinatus ad objectum rite applicatum percipiendum; deinde cum veritas, quae indivisibili consistit, neque cum falsitate consociari potest in eadem re, sit necessarium intellectus objectum, ipso quoque necessario eidem perspicue propositae assentitur: omnis quippe potentia necessario agit, cum necessarium objectum habet. Quare habitis omnibus requisitis nequit intellectus actionem suam suspendere; et cum non agit, id inde est, quod non adsint omnia requisita, a quibus ad agendum determinatur. At vero voluntas praeter activam indifferentiam habet quoque facultatem suspendendi actionem, aut alterutrum oppositorum eligendi, quae indifferentia electionis dici potest: ejus enim objectum est bonum quod dequaquam in indivisibili consistit, sed majus, et minus recipit, quodque in eadem re sub diverso saltem respectu cum malo consociari potest: praeterea solum bonum infinitum clare cognitum est necessarium amoris objectum, quia illud solum naturalem felicitatis cupiditatem explere potest; bona vero finita nec pura sunt, nec ad veram beatitudinem quidpiam conferunt; unde quamdiu voluntas inter bona finita versatur, ad amorem vel electionem necessario non rapitur; sed habitis etiam ad agendum requisitis retinet facultatem suspendendi actionem, id est volendi, vel non volendi hoc, vel illud, ut etiam volendi. Horum quae dixi omnium ratio denique ex sensu intimo petenda est, sicut enim sensus intimus nos docet, nos non posse objectum rite applicatum non percipere, aut veritati evidenti assensum negare, vel dissensum praestare: ita eodem sensu intimo experimur nos plurimum ex propria determinatione velle, non velle, nolle: quare si aequae certia sit, quae per idem medium innotescent, rite concludimus, intellectum, ad quem pertinet objectum rite applicatum percipere, ac veritati evidenti assensum praestare, potentiam esse



necessariam; contra voluntatem, cuius est ex bonis finitis per intellectum propositis eligere, ac mala respuere, potentiam liberam esse. Neque obest, non nunquam, prout libet, ad quaedam objecta reflectere, ideasque pro arbitrio excitare; inde enim solum sequitur *usum* intellectus quandoque nobis liberum esse, posseque nos pro voluntatis nostrae electione, ac imperio intellectum ad hujus potius, quam alterius objecti contemplationem applicare, quemadmodum ille per idem imperium in obscuris, vel probabilibus ad assentiendum saepe determinatur.

Ex his porro ulterius patet, indifferentiam activam, cuius supra meminimus, rursus duplicem esse; unam *electionis*, alteram *simpliciter activam*: illa non eget principio determinante externo; haec eget; differt tamen ab indifferentia passiva, quae per principium externum *efficiens* tolli debet; illa soli voluntati competit, estque necessarium verae libertatis constitutum; haec et intellectui, et appetitui propria est.

3.) Defensores Leibnitianae libertatis multa accumulatur; ajunt fieri nunquam posse, ut actus primus proximus completus indifferens sit ad volitionem, aut ejus omissionem, quod nos ad perfectam libertatem requirimus (§. 115. sch.), inter ejus enim principia, si ve requisita representatio boni, seu motivum locum habet, quod cum sit ratio sufficiens volitionis, cum ipsa necessario connectitur. Id autem ita esse probant: 1.) Quia voluntas non potest non velle objectum, quod ut bonum representatur; quod enim, quaerunt, foret motivum, ut voluntas posita representatione boni se determinet ad ejus volitionem omittendam? 2.) Praeter representationem boni nulla prorsus ratio sufficiens volitionis cogitari potest; atqui repugnat, ut volitio sine ratione sufficiente existat; igitur ratio sufficiens volitionis est omnino representatio boni.

R. Representationem boni esse rationem sufficientem volitionis jam alias negavimus (§. 118. cor. 3.). Certe hoc admissio omnis veri nominis libertas tollitur, relicta solum spontaneitate; sequeretur enim, animam quidem agere posse, quod vult, non autem hoc, vel illud velle, aut nolle, aut non velle posse. Neque rem salvant, cum dicunt per rationem sufficientem induci solum veritatem determinatam hypotheticae, non vero absolute necessariam: certitudinem, non necessitatem; hanc quippe a principio contradictionis pendere. Etsi enim hoc verissimum sit, cum positio rationis sufficientis nostro arbitrio subicitur: minime tamen ita est in casu opposito; posita nempe ratione sufficiente vi principii contradictionis ponitur rationatum (ont. §. 22.): ergo si mihi positio rationis sufficientis libera non sit, neque positio rationati, id est, volitionis libera esse potest. Jam vero representationem boni, quae sit ratio sufficiens voluntatis nobis liberam esse nemo dixerit, nisi qui vel pugnantia docere, vel seriem volitionum, ac representationum infinitam statuere velit (§. 123. cor.). Quod si autem volitio, utpote actus imperans, libera non sit, nulli alteri actui, cum omnes im-

perati sint, vera libertas competet (conf. §§. 110. coroll. 115. sch.). Mirabile hic effugium excogitavit auctor additamentorum in metaphysicam Sagneri jam alias (cosm. §. 84. sch. 2. n. 1.) a me laudatus, postquam docuisset motiva nobis non libera esse judicii practici; hoc ipsius deinde volitioni rationem sufficientem addit (*Psych. emp. §. 123. addit. 111. n. 283. fin.*): *Nec obtrudi potest, necessarium illud esse, quod sequitur ex necessario: ut enim alia mittamus, quae hic dici possent, quod non sequitur ex necessario, nisi quatenus istud supponit, aut involvit proprium operandi modum agentis liberi, quem operandi modum nequit agens praetermittere, nisi desinat operari, ut agens liberum, non sequitur ex necessario, ut necessarium est, sed ut est principium actionis liberae; atque adeo sequitur ut liberum, non ut necessarium.* Verum pace clarissimi viri dicam, quod sentio; responsione hac adeo difficultas non tollitur, ut augeatur etiam; quod enim necessarium possit esse principium liberi, id est, quod intelligi nequit: certe necessarium, ac liberum contradictorie opponuntur: si autem unum contradictorium alterius principium esse possit, nihil obstat, quod minus ex tenebris lux, ex frigore calor oriatur. Neque juvat ad operandi modum, quem ens liberum praetermittere nequit, recurrere; nam id ipsum in questione vertitur: utrum ens liberum eum operandi modum sequi possit, ut necessitate ineluctabili ad actiones suas libere determinetur; atque istud omnino repugnare luculenter demonstravi (§§. 115. 116. sch.).

Ad prob. 1. R. Tametsi posita representatione boni non possumus non sentire inclinationem versus illud, quae ad appetitum per se non liberum pertinet, possumus tamen objectum bonum, quod actu ineliberate appetimus, deliberate velle, vel non velle, si modo illud non sit bonum infinitum clare cognitum, de quo hic sermo esse alioquin non videtur, idque testimonio sensus intimi apertissime confirmatur (conf. §. 118. cor. 3. §. 108. sch. 2. §. 91.). At determinatio ad omittendam volitionem carebit motivo? minime vero: nam primo cum omissio volitionis in se spectata non sit actus positivus, sed mera negatio volitionis, et carentia omnis actus positivi (§. 107. cor. 2.), ipsa etiam illa determinatio non erit positiva, sed solum negativa, cui proinde etiam nullum motivum positivum, sed solum negativum respondet, quod in eo consistit, quod bonum illud non representetur ut infinitum, et necessario eligibile, verum solum ut finitum, quod ratione saltem suae finitatis imperfectum, sive non bonum, nec ad veram nostram felicitatem necessarium est: quare voluntas pro utraque parte tam per volitionem, quam pro ejus omissione habebit motivum proportionatum, atque adeo etiam actum primum proximum completum pro suo arbitrario vel per volitionem positive, vel per ejus omissionem negative exercendum. Poterit igitur voluntas in hac hypothesis pro sua libertate vel objectum illud velle, vel ejus volitionem duntaxat omitt-



tere, vel intellectum ab eo avocatum ad alia contemplanda, vel ad illud ipsum accuratius expendendum applicare, quanta ejus sit bonitas? utrum non speciem mali admixtam habeat? quam si detulerit, jam non modo illud velle, aut non velle, sed etiam velle aut nolle (§. 115.) poterit. Deinde etsi ponamus eam volitionis emissionem fieri interdum, aut etiam, ut aliqui contendunt, fieri semper debere per determinationem positivam, neque tamen haec deperterminatio suo motivo destitueretur; ut enim universim ex parte objecti ad volitionem aliud non requiritur, quam species boni, ob quam illud eligibile sit, ita etiam ad positivam volitionis omissionem ex parte objecti aliud non desideratur, quam species quaedam non boni, ob quam illud sit non eligibile; jam vero omne bonum finitum, ut finitum habet in se defectum ulterioris realitatis (§. ont. 217.): si igitur ut hoc defectu affectum repraesentetur, ipsa illa representatio erit utique motivum positivum ad positivam determinationem, ut volitio omittatur. Generatim itaque, cum mens objectum, quod repraesentatur ut bonum, non vult, vel duntaxat non vult, ad quod sufficit, ut objectum non sit bonum finitum; vel simul vult aliud, ad quod requiritur, ut in eodem simul repraesentetur: vel vult, ad quod necesse est, ut in eodem objecto bono quaedam mali species reluceat; unum ex his semper adest: igitur quotiescumque animas bonum finitum repraesentatur, adest motivum, ob quod ipsa ad omittendam volitionem determinare se possit. Neque proinde etiam, ut aliqui volunt, necesse est, ut mens in usu suae libertatis sibi motivum quaerat; eumque explicite intendat; quin de hoc libertatis usu, si nonnumquam explicite intendat, sicut de quovis alio bono representatio ratione incanduit. Insicite ergo pronunciatum est *potentiam liberam volendi, vel non volendi rem aliquam esse potentiam volendi sine motiva: cumque hoc absurdum sit, libertatem esse terminum inane* (L'Épist. discours. 1. pag. 16. stér.).

Ad prob. 2. R. Ipsum spontaneitatis exercitium esse rationem sufficientem volitionis, aut nolitionis, ejusque exercitii omissionem omissionis volitionis, seu non volitionis (§§. 127, 128.). Hujus porro exercitii ratio sufficiens alia quaeri prudenter non potest, quam ipsa sit natura libertatis, quae in eo consistit, ut voluntas habitus non quidem ad agendum requisitis agere, aut non agere ex aequo possit (§. 115. sch.); utque proinde sit vis sui ipsius determinatrix non quidem absque motivo, seu ratione quadam externa tenentio se ex parte objecti; sed tamen absque ratione id genus externa sufficiente, et invicta. Hoc illud Tollii pertinet (De fac. c. 11.). Comuni igitur consuetudine sermonis abutimur, cum ita dicimus: *velle aliquid quempiam, aut nolle sine causa; ita enim dicimus sine causa, ut dicamus sine externa, et antecedente causa, non sine aliqua. — Ad animorum motus voluntarios non est requirenda causa: motus enim voluntarius eam naturam in se ipso continet, ut sit in nostra potestate, nobisque pa-*

reat: nec il sine causa: ejus enim rei causa ipsa natura est. Cum igitur evidens sit ad naturam, essentialique libertatis, a necessitate pertinere, ut spontaneitas exerceri possit sine ratione sufficiente externa atque ejusmodi libertatem reapse in nobis extare invictis argumentis (§§. 124, 125, 126.) demonstraverimus, pariter perspicuum fit, hujus ipsius exercitii ulteriorem rationem sufficientem quaeri non posse, nisi ab eo, qui, ut loquitur Buffierius (Traité des prém. ver. p. 3. ch. 4. n. 473. Item ch. 2. et 3. et p. 1. ch. 7. n. 58.) extra libertatem libertatis exercitium quaerere voluerit. Sapienter Dariesius (Psych. emp. §. 120. sch. 2. fin.): *Accommodatio (exercitium) vero spontaneitatis non est effectus; sed actio, quae in serie operationum, quarum altera alteram determinat, est prima.*

Atque ex his colligitur, invidiosam illam, quam ex Leibnitio d'Atembertus (Encyclopedie art. fortuit) desumpsit, comparationem voluntatis sine ratione sufficiente externa quodpiam volentis cum fortuita atomorum epicurearum declinationem minime in nos valere; ubi enim nihil sine ratione sufficiente eventi, ibi casualis locus non est (Psych. §. 529. sch. n. 3.). *deinde quid esse si militudinis, ut habet doctissimus P. Mako, potest inter inertia corporis omni intelligentia, et voluntate destituta, mereo casu absque ulla causa declinantia; et inter animam ratione, providentia, deliberanda, atque deligendi facultatem praeditam, certisque incitamentis affectum? ille nimirum fingitur declinatio absque ulla etiam effectrice causa: hic fit eventus a causa, a qua sola libertate salva effectio ejus proficisci potest.*

4.) Ajunt nonnulli cum Baumeistero (Psych. emp. §. 606.). Si repraesentatio boni non esset ratio sufficiens volitionis, quaerenti, cur hoc, vel illud velis? respondere cogeri dicendo vel: *volo, quia volo*; vel: *volo, quia possum velle*; utrumque autem responsum ridiculum, et absurdum est: primum enim aut identicum est, et idem per idem resolvit, aut quamvis volitionem ab alia praecedente pendere, sic processum in infinitum statuit; alterum contra notissimum philosophorum canonem a posse ad esse argumentum.

R. Utrumque hoc responsum tolerari potest, si modo hoc sensu accipiatur: *volo hoc objectum, quia mihi bonum videtur, et quia ego habeo potentiam quodcumque objectum mihi bonum volendi, eaque potestate nunc utor*; hoc autem sensu stabilito tota argumenti vis corrumpitur; nam et ratio tenens se ex parte objecti; sive motivum, et exercitium spontaneitatis tamquam vera volitionis ratio sufficiens assignatur: quare neque idem per idem resolvitur; neque progressus in infinitum adstruitur; neque a potentia ad actum argumentum ducitur. Ulterius autem questionem urgeri prudenter non posito ex dictis patet.

Quaero hoc loco a Leibnitianis, qui putant non semper ratione externa ad volitionem invictae determinari, etsi frequentissime ipsam Storchemau Metaph. Lib. III.



non cognoscamus, quippe ex hac ignorantia praediuicium de vera necessitate libertate ortum fuisse contendunt, quaero, inquam, quid ii in hoc ignorantiae casu rogati, cur hoc velint, respondere solent? sane, si sinceri esse velint, aut illud, quod in nobis ridet, responsum dabunt; aut reponent *volō hoc propter rationem, quam ignoro*. At istud magis risu dignum videtur: jure enim cum celeberrimo Dariesio ajo (*Psych. emp. §. 19. sch. fin.*): *compositibilitatem idearum*: volo aliquid cum ratione, quam non cognosco: *nondum perspicio*. Certe assignare rationem incogitam est assignare rationem nullam; ostendant deinde sine circuli vitio, unde habere se rationem incogitam sciunt? apparet igitur in omnium tandem sententia ultimo ad idem fere responsum deveniri: quare non est, cur tantopere hoc in argumento illorum se jactet oratio. Ceterum nos per ejusmodi responsa, quae aequae in communi naturae sensu fundatur, ac illud: *stat pro ratione voluntas*: non aliud denotare volumus, quam nullam adesse rationem externam adeo invictam, ut non ea stante volitionem, si luberet, omittere possemus; verbo: obsecris quidem verbis quod res ipsa clarius a quovis intimo sensu percipitur, quam dilucide exponi queat, significamus pollere nos ea facultate, quae ad utramque partem aequae expedita est, nunquam eam, cum nihil obstat, in alterutram pro arbitratu hescere. Nullo autem pacto ex superiori responso: *volō, quia volō*, in sano sensu intellecto quis progressum volitionum in infinitum extendere; ineptiret certe, qui assereret quamvis volitionem ab alia praecedente pendere, quae quidem Spinozae (*Et. p. 2. propos. 32.*), ac Hobbesii (*Debate unith. Epist. Bramhull. p. 289.*) sententia est, non enim volendo me determino ad volendum, id est, non volo velle; sed cum me determino, tum volo, neque ante volui, se quippe *determinare ad volendum, et velle* sub diversis vocabulis idem sonant.

At vero occurrit hic fortasse alicui sequens argumentatio. Consultatio illa Leibnitianorum, hoc ipso, quod non pendeat a volitione praevia, non est actus liber, sed necessarius (§. 123.): ergo etiam volitio objecti, quae non pendeat a volitione praevia, non est actus liber, sed necessarius: ac proinde necesse erit, ut velim velle, et rursus velim velle velle, atque sic porro in infinitum. Responso in promptu est. Consultatio illa foret actus imperatus, cui numquam immediate, sed mediate solum mediantie nempe actu elicitō, libertas competit (§. 115. sch.): unde consultatio haec, si non penderet, praevia volitione ipsam imperante, a nullo actu elicitō penderet, proindeque nulla libertate gauderet. Contra, volitio objecti est actus elicitus, cui per se, et immediate libertas convenit (§. cit.), neque necesse est; ut actus elicitus ab alio actu elicitō pendeat, cum sit primus actus voluntatis illiusque actualis exercitii effectus. Denique nullus actus potest esse liber, nisi sit simul voluntarius: praeter actus vero elicitos per se, et intrinsece voluntarios nullos omnino actus voluntarios esse, potest, nisi qui a

volitione praecedente, atque sic a voluntate pendeat (§. 109.). Haec de primo Leibnitianae opinionis capite; jam ad alterum.

5.) Ajunt non posse minus bonum in consuetudine majoris eligi; tum quod minus bonum in collisione cum majore malum est; tum quod nulla potest cogitari ratio sufficiens praefereendi minus bonum majori: ea certe nec forte ex parte objecti, ut per se clarum videtur, nec ex parte voluntatis; nam cum voluntas sit appetitus rationalis, nequit ipsa nisi rationaliter agere; praeferre autem minus bonum majori rationale non est.

¶ Tametsi minus bonum *comparative* spectatum, quatenus consuetudinem majoris impedit, malum sicut, non est tamen tale *absolute*, et in se consideratum; retinet enim speciem boni absolutam, quam in se, et extra consortium habet; quemadmodum etiam malum minus, ut ut malum sit, et tale permaneat, tamen comparative bonum efficitur, quatenus impedit majus malum, si nempe sermo sit de malo physico; aliud enim est de malo morali dicendum, sed hoc non pertinet. Quapropter sicut hoc ita et illud, non quidem ut minus bonum, sive *sub specie relativa mali*; sed ut in se bonum, seu *sub specie absoluta boni* ab humana voluntate eligi potest (conf. §§. 90. cor. 2. 3. 96. cor. 2. 103. cor. 1.).

Deinde sicut qui oblati duabus semitis alterutram init, non incedit sine semita; ita qui in collisione duorum bonorum seu inaequalium, seu aequalium alterutrum eligit; non agit sine ratione sufficiente, multo minus, ut putant, sine motivo, nam ut quaevis semita hoc ipso solum, quod sit semita, iniiri; ita quodvis objectum hoc ipso, quod bonum appareat, eligi potest, cum quaelibet bonitas representata motivi instar esse queat. Hoc ipso nempe, quod neutrum horum bonorum inaequalium ut necessarium, seu infinitum repraesentetur, potest voluntas per paulo ante dicta utramque non velle: cui igitur ea non possit quodvis eorum, altero praetermisso, velle?

Verum quae potest esse ratio sufficiens, ut minus praeferratur majori? ex parte objecti certe nulla, sic enim existimo: ut universim ad hoc, ut voluntas aliquid velit, nec requiritur, nec salva, quae in nobis extat, libertate, requiri potest ratio sufficientis externa, quemadmodum in superioribus demonstratum est: ita nec ejusmodi ratio sufficientis externa requiritur, ut bonum minus majori praeferratur. Adde, etsi, ut objectum quodpiam eligatur, requiratur aliqua ratio externa, sed non sufficiens, nimirum motivum in representatione boni consistens: non tamen nova ejus generis, et distincta ratione opus est, ut unum bonum, etiam minus, alteri praeferratur. Quid enim haec est praeratio? nihil profecto aliud, quam positiva unius volitio, et nulla volitionis alterius omissio: quid jam vero inde? istud: bonum minus praefertur majori hoc ipso solum, quod illud velim, hoc non velim, etsi hanc praerationem explicite non intendam: cum igitur motivum ad volendum minus bonum adsit, et ad non volendum majus bonum negativum eo consistens,



quod non sit infinitum, sufficit, semper sine distincto motivo minus bonum prae majori eligi poterit. Qua itaque ex parte voluntas cujusvis volitionis ratio sufficiens est, ea quoque est praelatio minoris prae majore bono.

At vero voluntas, quae tamen appetitus rationalis recte dicitur, non agit rationaliter, haec obiecto multis modis reprehendi potest. 1.) Universim, et in omni casu electio minoris boni non videtur imprudens, sed irrationabilis, cum continuo imprudentiae arguit, si pro voluptate mea eligam id, quod libet, tamen minus bonum sit? 2.) Quis umquam demonstravit voluntatem nostram, id est nos, non posse imprudenter, sive irrationabiliter agere? certe quotidiana experientia contrarium manifeste testatur: an forte assis rationaliter agunt, qui affectionibus pravis ultra se abripi sinunt? qui eas voluptates, quibus honos praefereendus est, unice sectantur, nonne frequenter meliora probamus, deteriora sequimur? 3.) In turpe acquivocationis vitium labuntur, cum putant irrationabiliter agere, et sine ratione sufficiente agere idem in resonare. Irrationaliter agit, qui ductum rationis, illius nempe facultatis, quae nequam veritatem distincte perspiciamus, non sequitur, id est, qui alter agit, ac agendum esse per rationem cognoscit: atqui hoc non est agere sine ratione sufficiente; fieri quippe potest, ut actio, quae contra rationis praescriptum efficitur, cum ratione sufficiente existat. 4.) Voluntatem non recte dici appetitum rationalem supra ostendi (§. 108. sch.); sed dabo ad versariis aliquid, ut infirmitas argumenti appareat. Sit ita: sit voluntas appetitus rationalis; erit istud ideo solum, ut ipsi volunt, quia fertur, ac inclinatur in bonum distincte, ope nimirum intellectus, et rationis cognitum. Rationalis itaque, et irrationalis non idem hoc loco significant; et sicut fieri potest, ut obiectum aliquod in se malum sub aliqua boni specie, non modo per sensum confuse, sed etiam per intellectum, et rationem distincte repraesentetur, ita potest voluntas illud rationaliter appetere, et irrationaliter eligere. Intellectus nimirum etiam errare potest, non quidem, quatenus distincte repraesentat, sed quatenus non omnia, quae in obiecto insunt, distincte repraesentat, et quatenus impurus est. Fieri deinde etiam potest, ut intellectus diversas rationes boni, et mali in eodem obiecto distincte, ac vere repraesentet; quo casu poterit voluntas contra praescriptum intellectus, et rationis ob mali speciem volitionem suadentis ipsum ob adiunctam boni speciem velle. Hoc ipsum toties fit, quoties quis ex sorta scientia, deliberato proposito, atque ex sola malitia legem divinam, ad deliberato proposito, atque ex sola malitia legem divinam, ad humanam transgreditur; talis enim qui est, eligit peccatum, quod acti cognoscit grave malum esse; quamvis non ideo, quia malum est, sed quia non obstante hac malitia aliquam boni apparentis speciem prae se fert, puta commodi temporalis, honoris etc. Accedamus ad tertium doctrinae Leibnitianae caput.

- 6.) Sane voluntatem inter duo bona perfectae aequalitatem neutrum eligere posse contendunt; est enim, sicut, eo casu voluntas in statu perfecti aequilibrii; atqui in hoc ipsa agere nequit, cum eo modo se habeat, quo se ante omnem boni representationem habuit. R. Cum nulla adest representatio, voluntas, seu potius mens nostra in statu indifferentiae est, in quo ipsa vel nullum obiectum percipit, vel percepta ad se non refert, ut adeo ignoret, utrum sibi bona, an mala sint (§§. 87. 88. cor. 1.); immensa autem est inter huius, et aequilibrii status differentia: in illo, cum desint motiva, non habetur actus primus proximus completus ad volendum, non volendum, aut nolendum: in hoc omnia adsunt (conf. §. 108. cor. 1.); quare poterit ipsa sua vi hoc aequilibrium tollere, seque ad volendum unum, et non volendum alterum: atque hac ratione ad illud huic non obstante aequalitate praefereendum determinare secundum ea, quae supra dixi.

Ad extremum: argumentum a pari, in quo tanto Wolfius opere exultat, tacitus praeterire nequeo (*Psych. emp. p. 2. s. c. 1. §. 92.*). Quae de appetitu, ita ait, et aversione animae dicta sunt, simile a libra petito illustrari possunt. Nimirum in libras tres status ab invicem distinguimus, status aequilibrii, status praependii versus dextram, et status praependii versus sinistram: Status aequilibrii librae naturalis est. — Idem vero enascitur ex ponderum utrinque appensorum aequalitate. Status aequilibrii non tollitur absque ratione sufficiente, per quam intelligitur, cur libram jam potius praeponderet, quam in statu aequilibrii permaneat. Neque praeponderatio fit absque ratione sufficiente, per quam intelligitur, cur libram jam potius versus partem unam praeponderet, quam versus alteram. Etenim si status aequilibrii tolli debet, ex parte una appendendum est pondus majus, ex altera minus, et praeponderatio fit eam in partem, ubi majus pondus fuerit appensum: vel ponderibus utrinque existentibus aequalibus praependium adiungitur, et praeponderatio in eam fit partem, ex qua est praependium. In anima quoque tres distinguuntur status a se invicem, nimirum status indifferentiae status appetitionis, et status aversionis, aut ubi cum parte superiori tantummodo nobis negotium fuerit, status volitionis et nolitionis. Status indifferentiae per se datur in anima, quia quidam obiectum nobis incognitum est, solum ignoratur, utrum quoad nos spectatum bonum sit, an malum. Id obtinet, si rationes ad appetendum et aversandum aequipollentes nobis videntur, et nulla adsit ratio, cur appetitionem praefereamus aversionis, seu volitionem nolitioni, et contra. Status indifferentiae non tollitur in anima sine ratione sufficiente, per quam intelligitur, cur potius obiectum datum appetamus, quam aversentur. Etenim si in casu priori ex statu indifferentiae animus transferri debet ad status appetitionis, vel volitionis, obiectum istud sibi fe-



praesentare debet tamquam bonum quoad se, si vero eadem ex statu indifferentiae transferenda in statum aversationis, vel nolitionis, idem sibi repraesentare debet tamquam malum quoad se. In casu posteriori, in quo indifferentia specialis nomine indifferentia perfecti aequilibris dici solet, ratio quaedam ex parte una, vel extrinseca, eoque levicula superaccedere debet, ut appetitus flectatur in unam potius partem, quam in alteram. Similitudo igitur consistit in eo, quod non minus libra quam anima dentur tres status diversi, quorum unus per se inest, aut in eo casu, quo rationes ad utrumque mutationes, sunt aequipollentes, quod ex primo non sequatur reliquorum unus nisi posita ratione sufficiente. Ita praecclare, si superis placet Wolfius.

At vero 1.) Inscite paritatem, quam Tullius ad intellectum applicat, ipse ad voluntatem tradidit (Qg. ac. L. 4. c. 12.): ut lancem in libra, ait philosophus ille romanus, ponderibus inpositis, deprimis, sic animum per speculum cedere, sive, ut statim subdit, non posse obiectam rem perspicuum non approbare. Qui autem non novit intellectum per se potentiam necessariam esse, ac necessario assentiri veritati clare, et perspicue propositae? quodsi igitur paritas haec aequae ad voluntatem accommodari posset, nonne concludemus ea necessitate voluntatem bonum velle, qua intellectus veritati evidenti assentitur? Quae ergo, et ubi libertas?

2.) Wolfius voluntatem ab appetitu superiori non distinguit; immo eo prorsus modo paritatem ad voluntatem, quoad appetitum inferiorem, ad quem ipsa aliquo sensu applicari posset, illustrandam adhibet. Certum autem est non modo philosophorum omnium, sed totius generis humani consensione appetitum inferiorem non esse facultatem per se liberam, quod idem in brutis videre est: igitur ex mente Wolfii non major voluntati, quam appetitui inferiori libertas tribuenda; quae sententia cum eorum opinione, qui quodvis fatum admittunt, optime consistit.

3.) Videtur Wolfius confundere indifferentiam passivam librae proprimam cum indifferentia activa, quae in anima inest; neglecto autem hoc discrimine contra ipsum inferri a quopiam poterit, animum nec esse principium actuum suarum volitionum, proindeque nec sponte agere: certe libra non est praepodii sui principium actuum, neque sponte inclinatur, sed gravitate ponderis majoris velut principio externo deprimitur.

Atque hinc patet, quid de hac Wolfii, aliorumque Leibnitianorum opinione sentiendum: verbis nimirum relinquunt, reapse autem tollunt libertatem, quemadmodum olim Tullius de Epicuro scripsit (De nat. D. l. 1.), *re tollens, oratione relinquens Deos* (conf. cosm. §. 32. sch.). Ita certe argumentum concludere licet: volitiones, et nolitiones a motivis sic determinantur in anima, sicut a ponderibus inclinationes in libra; atqui haec absolute necessitantur; igitur et illae. Injuriam quidem sibi inferri conqueritur

Wolfius (Loc. cit. sch.). Qui simile, ita ille, aliter explicant, illi ultra suum terminum illud extendunt, et luxuriantis imaginationi indulgent. Qui animum cum lingua, sive examine, appetitum cum brachio dextro, aversationem cum sinistro, motiva cum ponderibus motivis aequipollentibus, superaccedentem rationem cum praepodii, modum agendi ponderem in libram cum influxu motivi in anima comparant; totia proferrunt, quae nostra reclamatio nequaquam audienda est, quando res ipsa contrarium loquitur; necessariae ex principis stabilitis consecutiones negari nequeunt nisi ab eo, qui secum ipso pugnare velit: sunt autem haec adeo clarae, ut ipse Leibnitus (Récuell. de div. piec. t. 1. §. écrit. de M. Leibniz. §. 3.), eujus sententiam Wolfius defendendam sumsit, in epistola ad Clarkium data easdem prorsus inficiari ausus non fuerit: *verum est*, inquit, *rationes in mente sapientes, et motiva in quocumque cujuscumque hominis animo id efficere, quod respondet effectui, quem pondera in libra obtinet*. Egregie, ut solet, celeberrimus P. Marko (Comp. met. inst. Psych. §. 429. sch. 3. p. 273. ed. 2.) hoc argumentum prosequitur: *et querentur adhuc adversarii, si sua eos libra urgeant, nosque crassa ignorance, errore, falsis opinionibus devinctos inani voce sonare clamitant, neque intelligere, neque videre, sub hac voce libertatis quae sit subjicienda sententia? Ajunt eam comparationem, ut ceteras omnes, claudicare: motiva in animum non perinde, ac pondera in libram, physica efficacia agere: inclinationem voluntatis non esse motionem aliquam corpoream, ac mechanicam; pondera ad libram extrinsecus addi, motiva voluntatis infra ipsum animum gigni, ac recondi. Sicut ista sane, non enim id agitur, ut contentandamus eam similitudinem hactenus pertinere. At illud certe verum est, incitamenta illa esse instar ponderum: ut his libram, ita illis animum inclinari: inclinationem illius cum momenti ponderum, hujus cum efficaciae illuciorum connecti: inclinationis in libra magnitudinem quantitati ponderis, in voluntate quantitati motivi certa quadam proportione respondere. Haec autem, quorsum evadant, facile intelligitur. Dicent, comparationem ne hactenus quidem pertinere. Non quaero, quid dicant, sed quid convenienter debeant rationi, et sententiae suae dicere. Itaque concedo animum non esse libram, nec incitamenta voluntatis quasi plumbea quaedam pondera eandem extrinsecus impellere: id contendo, in ea sententia animum non minus fataliter determinari suis motivis, atque machinam aliquam corpoream suis elateribus: eandem semper esse vim necessitatis, quae demum cumque sit illa natura, in qua inhaereat.*